

104a

Clus Leibnitz Scripta. Act. Brunswic. Tom. II. pag. 34. 35.

XXXII. Chronicon Coenobii S. Michaelis  
in Hildesheim Ordinis S. Benedicti, ex Ma-  
nuscripto.

Obtinuimus hoc Chronicon beneficio Illustris Viri, qui nunc  
in clyto Monasterio praesidet, ab antiquioribus conscriptum ex monu-  
menti loci, & a posteriore aliquo ad nostra usque tempora conti-  
nuatum. Fundator ejus fuit Magister Ottonis III. Augusti, Bern-  
wardus Episcopus Hildesienfis, cujus vitam Tomo I. Scriptorum  
Brunsvicensia Illustrantium, inseruimus; quae etiam hujus Monasterii  
originibus declarandis inserviet. Errat auctor, & antiqua ad posteri-  
orum morem concipit, dum primum Goderamum Docto-  
rem in sacra pagina seu Theologia, & quartum Segebertum Docto-  
rem Decretorum facit; cum nec dum universitates studiorum, a qui-  
bus honores Doctoratus darentur, in orbe extarent. Tertius Abbas  
Benno, factus demum Misenensis Episcopus, etiam sanctitatis fama  
inclaruit, & a Leone X. demum canonizationis honorem accepit.

Hac occasione memorare operae pretium videtur, S. Bennonis  
libellum de Dictamine seu de conscribendis Epistolis, hactenus ine-  
ditum, imo plane incognitum, & ejusdem expositiones breves super E-  
vangelia Dominicalia, extare in Codice membranaceo-Augusta Bi-  
bliotheca Guelfeburgiana Serenissimi Ducis Brunsvicensis in forma,  
quam octavam vocant no. 56. 20. MSS. Prior ita incipit:  
„ Ego, Benno, Misnenis humillimus servus crucis Christi S. Ferra-  
riensium (sic lego) tibi, Palatii Imperatoris aequissimo judici, salu-  
tem et petitionis affectum. Magnis et crebris tuae dilectionis preci-  
bus fatigatus, honesta petitioni denegare non audeo, quod me jam  
dudum opusculum promisisse recolo. Eatenus namque tua rogatione  
moveor